cutioni ſententia contradatur, niſi prius fidejuſſiones dignas præbuerit victrix pars, *tantæ quantitatis, quantæ fuit condemnatio: ut ſi poſt hanc retractationem modo legitimo procedente ſententia reſolvatur* [1], *res ei cum augmentis legitimis reſtituatur.* Si vero intra memoratas decem dierum inducias poſt prolatam ſententiam non obtulerit libellum is qui putat ſe læſum: jubemus cauſæ executionem ſine fidejuſſore procedere, retractationis jure ſervando illi qui ſe gravatum putaverit.

CAP. VI.

Si minor vigintiquinque annis reſtitutionem adverſus aditionem hereditatis petere voluerit [2].

AD [3] hæc quoque ſancimus: ut ſi contigerit minores velle ſe abſtinere [4] ab hereditate in ſe devoluta, & a ſe ſuſcepta: ſi quidem omnes creditores præſentes fuerint in illis locis, in quibus in integrum reſtitutio poſtulatur, vocentur [5] a judice creditores: & præſentibus omnibus, ab hujusmodi hereditate ſe minores abſtineant. Si vero omnes aut aliqui creditorum abſentes fuerint: jubemus minores volentes hoc agere, locorum judicem in quibus ipſi degunt, adire: illum vero per conſuetas [6] citationes vocare creditores, & ſi intra ſpatium trium menſium nusquam appareant creditores, licere minoribus ſine periculo ab hujusmodi hereditate abſcedere: judice providente, apud quem agitur in integrum reſtitutio, ubi debeant hereditariæ res mobiles & immobiles cuſtodiri [7]: quantitate quippe harum, publica [8] deſcriptione ſub geſtis monumentorum manifeſtanda.

CAP. VII.

De præſcriptionibus, alias, De mala [9] *fide poſſeſſoris res alienantis.*

RUrſus [10] ſancimus ut ſi quis mala fide rem poſſidens, aut per venditionem aut per donationem, aut aliter hanc rem alienet: qui vero putat easdem res competere ſibi, hoc agnoſcens, intra decem annos inter præſentes, & viginti inter abſentes, non conteſtatus fuerit ſecundum leges emptorem, aut donationem accipientem, aut illum ad quem res alio quolibet modo translatæ ſunt: eum qui tales res habet, firme eas habere, poſt decennii videlicet inter præſentes, & vicennii inter abſentes decurſum: Si autem ignorat vetus alienatarum rerum dominus, & quia res ei competunt, & quia alienatio facta eſt: non aliter hunc excludi, niſi per tricennalem [11] præſcriptionem: non valente dicere eo qui res hoc modo poſſidet, quia ipſe bona fide poſſidet, quando ipſe a [12] mala fide poſſidente hoc accepit.

CAP. VIII.

De abſentibus & præſentibus in decennii præſcriptione [13].

DE [14] præſcriptione vero decennii hoc ordinare proſpeximus, ut ſi quando quispiam in prædicta decennii temporali præſcriptione in quibusdam quidem annis præſens ſit, in quibusdam vero abſens: alios tantos ei annos ſuper decennium adjici, quantos ex ipſo decennio abſens fuit. Hæc autem omnia quæ de temporali præſcriptione decrevimus, non in præteritis, ſed in futuris, & tantum poſt præſentem legem negotiis atque cauſis valere præcipimus.

CAP. IX.

De teſtatore non cogendo propria manu nomina heredum ſcribere [15].

QUia [16] vero ante [17] hanc legem protulimus, *ut teſtator aut manu* [18] *propria, aut per teſtes, nomina heredum ſcribat in teſtamento:* agnovimus autem ex hujusmodi ſubtilitate plurima teſtamenta deſtructa, teſtatoribus non valentibus [19] hujusmodi cuſtodire ſubtilitatem aut forſan nolentibus [20] ſcire aliquos ſuam voluntatem: jubemus licentiam quidem eſſe volentibus hoc ſervare in propriis teſtamentis: ſi enim hoc non obſervant, ſed ſecundum priſcam conſuetudinem teſtentur, etiam ſic firmum teſtamentum eſſe ſancimus, ſive per ſe aliquis, ſive per [21] alterius [22] perſonam nomen heredis inſcripſerit: ſi omnino reliquam legitimam obſervationem [23] in teſtamento teſtator obſervaverit.

CAP. X.

De rebus immobilibus quæ locis venerabilibus pertinent [24].

LEgem [25] vero per quam ſanximus non transferri ad alios res quæ ad noſtram domum ex venerabili eccleſia pervenerunt, vacare [26] ſancimus tam in iis, quæ jam ad noſtram domum legitime pervenerunt, quam quæ poſtea pervenire futura ſunt.

CAP. XI.

De lege Falcidia in rebus alienari prohibitis ceſſante [27].

SI [28] quando autem aliquis teſtamentum faciat, & aliquam rem immobilem ſuæ familiæ aut alteri cuicunque perſonæ nomine legati reliquerit, & ſpecialiter dixerit, nullo tempore hanc rem alienari, ſed aut apud heredes, aut apud ſucceſſores illius cui relicta eſt, permanere: in hoc legato jubemus Falcidiam legem locum penitus non [29] habere: quoniam alienationem ejus teſtator ipſe prohibuit. Hæc autem obtinere præcipimus in illis caſibus, qui nondum judiciali decreto aut per amicabilem conventum, aut quolibet modo legitimo deciſi ſunt.

EPILOGUS.

† Eminentia igitur tua, quæ per præſentem legem in perpetuum valituram noſtra ſanxit tranquillitas, edictis quidem in hac regia civitate propoſitis, præceptis autem ad omnium provinciarum judices deſtinatis, ad omnium notitiam venire procuret. Dat. 13. Kalend. Febr. CP. Dom. JUSTIN. PP. Aug. Anno * [30] BASIL. CONS.

TIT. III.

DE ALIENATIONE, ET EMPHYTEUSI [31] ET LOCATIONE, ET HYPOTHECIS ET ALIIS [32] DIVERSIS CONTRACTIBUS, IN UNIVERSIS LOCIS RERUM [33] SACRARUM [34].

NOVELLA CONSTIT. CXX.

Imp. Juſt. Aug. Petro glorioſiſſ. Orientalium prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

MUltis & diverſis legibus ſuper alienationibus, & emphyteuſibus, & locationibus, & reliquis adminiſtrationibus eccleſiaſticarum rerum plantantibus [35] prævidimus omnes præſenti comprehendere lege.

CAP. I.

De alienatione [36] *& emphyteuſi rerum eccleſiæ.*

SAncimus itaque nullam habere licentiam ordinatores rerum hujus regiæ civitatis, ſanctiſſimæ majoris eccleſiæ, aut orphanotrophii, aut noſocomii, aut xenodochii, aut ptochotrophii, aut alterius venerabilis domus in hac regia civitate, ſive in ejus finibus conſtitutæ, exceptis venerabilibus monaſteriis, aut vendere, aut donare, aut commutare, aut [37] ſubalterno dono dare, aut alio quolibet modo alienare rem immobilem, aut civilem [38] annonam, aut ruſticum [39] mancipium: niſi [40] ad imperialem domum commutatio ſola facta eſt: Sed neque (de [41] colonis juſte) dari quidem concedimus. Emphyteuſes [42] vero a prædicta ſanctiſſima majore eccleſia regiæ civitatis, & commemoratorum locorum fieri jubemus in perſonam ejus, qui accepit, & aliis duobus deinceps heredibus, & non amplius de ſexta parte inſtantis canonis dimittimus ei qui emphyteuſis jure acceperit. De competentibus vero proaſtiis [43] ipſi ſanctiſſimæ majori eccleſiæ, & nominatis venerabilibus domibus in regia hac civitate, aut in ejus regione [44] aut manſione conſtitutis: jubemus, ſiquidem hæc reditus habeant integro canone, ab iis ordinatoribus, qui regunt ipſa venerabilia loca, in emphyteuſim ſecundum prædictum modum accipienti, & aliis duabus ſucceſſionibus dari, & nullam omnino relevationem, ſed augmentum fieri. Si vero non habeant ipſa proaſtia aliquos omnino reditus: licentiam præbemus ordinatoribus venerabilium locorum in alia quantitate [45] hoc (ſicut prædictum eſt) in emphyteuſim dare. §. 1. Si vero contigerit quamlibet rem ex aliquo prædictorum locorum venerabilium emphyteutico jure datam, aut in imperialem domum, aut in ſacrum noſtrum ærarium, aut in civitatem aliquam, aut in curiam, aut in aliquam venerabilem aliam domum pervenire: licentiam præbemus ordinatoribus venerabilium locorum a quibus a principio emphyteuſis facta eſt, mox ut pervenerit in unam prædictarum perſonarum ipſa emphyteuſis, manifeſtare ſuam voluntatem intra biennium [46], & aut ab iis derelinqui eandem rem ad quos pervenit, & annuam penſionem, quæ pacto continetur, inferri, aut hoc accipere emphyteuſi ſoluta, eo quod hoc ſibi prodeſſe exiſtimant. §. 2. Si [47] vero quædam ſunt loca aut ipſi ſanctiſſimæ eccleſiæ majori, aut alicui venerabilium domorum competentia, in quibus antiquæ habitationes depoſitæ ſunt, & ex quibus [48] nullus præbetur reditus: prædictæ vero venerabiles domus quibus competunt hæc loca, reædificare non poſſunt, licentiam damus ipſis ordinatoribus earum in emphyteuſes perpetuo jure tradere ipſa loca: ita tamen ut emphyteuſis in tertia parte penſionum quæ ex habitationibus adhuc ſtantibus colligebantur, ex principiis temporis emphyteuſeos procedat: aut ſi emphyteuta maluerit, magis ſub iſto pacto accipiat loca, ut primitus ædificet, & ex adjectis illic per æſtimationem penſionibus medietatem partis dari venerabili domui, a qua ipſa loca accepit: & hoc fieri concedimus: utatur ergo hujusmodi emphyteuta, & illic inventa de depoſitis habitationibus materia.

CAP. II.

Si quis uſus nomine rem eccleſiæ habere voluerit.

SI [49] vero aliquis voluerit quamlibet rem immobilem nomine [50] uſus accipere a ſanctiſſima majore eccleſia regiæ civitatis, aut unius

1 *l.* 11. *ff. de appellationibus.* 2 Jul. *num.* 404. 3 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Si omnes. C. ſi minor ab hered.* 4 *l.* 7. §. 5. *l.* 29. §. 2. *ff. de minorib. l.* 57. §. 1. *ff. de adquir. vel omitt. hered.* 5 Edictis publicis ſcil. 6 Citandi ſeu citationum modi varii ſunt. 7 Deponi, ſequeſtrari. 8 Publico inventario. 9 Jul. *hic, n.* 405. 10 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Malæ fidei. Cod. de præſcript. long. temp.* 11 Uſuras non præſcribi, nonnulli hinc colligunt, quod tamen Molinæus negat, *q.* 17. *de uſur. num.* 190. 12 Quando mala fides eſt in autore, non procedit uſucapio in ſucceſſore, niſi dominus ſciverit, rem ſuam eſſe venditam, & multis annis tacuerit, niſi primus emptor rem alteri vendiderit, niſi res ſit præſcripta 40. annis, niſi heres vitia defuncti purgaverit: niſi defuncti fides fuerit non omnino mala: niſi res mala fide comparata ſit ab antiſtite, tunc enim Zaſius negat, malam fidem autoris nocere ſequenti antiſtiti, vide Zaſ. *ad l. Pomp.* 13. §. *cum qui.* [illegible]

quibusdam ſolvit, *Novell.* 1. *cap.* 3. Si inventarium heres non fecit. *Novell.* 1. *cap.* 2. §. 2. quoties teſtator expreſſim vetuit detrahi, *Novell.* 1. *cap.* 2. *in fin.* Poteſtne etiam tacite prohiberi Falcidia? Mich. Graſſus §. *Falcidia. quæſt.* 10. *num.* 2. 3. 4. refert ex communi opinione, tacite prohiberi poſſe, veluti, ſi teſtator legatum ſolvi vel præſtari juſſerit integrum, ſine diminutione, vel ſi executores juſſi fuerint diſtribuere usque ad integram ſummam legatorum. Idem fore, ſi pleno jure reſtitui teſtator juſſerit, quamvis & hunc caſum ab omnibus non approbari ſcribat, alias generaliter haberet locum *lex.* 2. *Cod. ad l. Falc.* 30 Id eſt, anno 531. 31 *Cap.* 1. *cap.* 8. §. *hic.* 32 Jul. *conſt.* 111. uſu *cap.* 2. §. pignore *cap.* 4. §. hypotheca *c.* 5. §. permutatione *cap.* 7. §. *hic.* 33 Puta immobilium, annonarum civilium, ruſticorum mancipiorum. Jul. [illegible]

memo-

memoratarum venerabilium domorum, non aliter hoc accipiat, niſi aliam rem mox dominii jure præbuerit, ex quo eandem rem accepit, tantum habentem reditum, quantum habeat res quæ ei datur: & non majoribus fiſci præſtationibus prægravatam: ut poſt ejus mortem, aut poſt tempus in quo datio uſus convenit, non tranſcendentem videlicet accipientis vitam, utraque res integra & in dominium & in uſum in eandem venerabilem domum perveniat.

CAP. III.

Ut liceat usque ad XXX. [1] *annos res eccleſiaſticas locare.*

LOcationes vero ab ipſis venerabilibus domibus fieri concedimus in quantoscunque contrahentibus annos placuerit, non tranſcendentibus videlicet XXX. [2] annorum temporibus.

CAP. IV.

Ut liceat res eccleſiæ immobiles pignori obligare.

SI vero contigerit aliquam prædictarum venerabilium domorum nomine fiſcalium [3] tributorum, aut alterius cujuslibet ſupervenientis neceſſitatis venerabili domui, pecuniis egere: liceat ejus ordinatoribus immobilem rem aut ſupponere aut dare in ſpeciale pignus, & creditor poſſideat eandem rem, & [4] ejus fructus colligat, & reputet ſibi tam in his creditis pecuniis quam in uſuris, non autem majoribus quam quartam partem centeſimæ. Si vero perſolverint debitum præpoſiti ejusdem venerabilis domus, aut ex fructibus adimpleatur creditum: redeat iterum res ad venerabilem domum ex qua data eſt.

CAP. V.

De emphyteuſi & hypotheca rerum eccleſiæ.

EMphyteuſeis vero & hypothecas, & ultra quinquennium volumus [5] fieri a ſanctiſſima majore eccleſia regiæ civitatis, conſcientia & conſenſu beatiſſimi hujus civitatis epiſcopi & patriarchæ: jurantibus præſentibus Deo amabilibus œconomis & chartulariis [6] ejusdem ſanctiſſimæ majoris eccleſiæ, quod non ad præſcriptionem juris ejus contractus efficiatur. In aliis vero venerabilibus domibus, ſiquidem ſint chartularii, ipſos æquali modo jurare præſente eo qui præeſt venerabili domui. Si vero non ſint chartularii, ab his qui præſunt venerabilibus domibus, propoſitis ſanctis evangeliis contractum fieri in ſcriptis cum jurejurando addito hujusmodi inſtrumentis, quod non ad læſionem aut præſcriptionem venerabilis domus contractus efficitur. §. 1. Oeconomis [7] vero & Orphanotrophis, & reliquis venerabilium domorum ordinatoribus [8], nec non omnibus chartulariis, & parentibus eorum, & filiis, & aliis qui per genus eis, vel nuptiarum jure conjuncti ſunt, interdicimus [9] emphyteuſim & locationes ſive hypothecas rerum ipſis venerabilibus domibus competentium, aut per ſemetipſos, aut per interpoſitam perſonam accipere: ſcientibus eis, quod ſi tale aliquid fiat, & hoc invalidum erit: & omnem ſubſtantiam tam eorum qui accipiunt, quam œconomorum & chartulariorum & ordinatorum, quibus ſecundum prædictum modum conjuncti ſunt, in venerabilem domum, de qua rem accipiunt, poſt obitum eorum pervenire jubemus.

CAP. VI.

De rebus aliarum eccleſiarum extra civitatem [10] *Conſtantinopolitanam.*

ET hoc quidem ſuper iis qui majoris eccleſiæ ſunt, & prædictarum venerabilium domorum, quæ ſunt in hac regia civitate, vel ejus circuitu adhærentium diſpoſuimus. In aliis vero ſanctiſſimis eccleſiis, & monaſteriis, & xenodochiis, & noſocomiis, ſeu reliquis venerabilibus domibus, quæ in omnibus provinciis noſtræ reipublicæ poſitæ ſunt, verum etiam monaſteriis in hac regia civitate, & ejus circuitu adhærentibus, conſequenter definire prævidimus. §. 1. Licentiam [11] igitur damus prædictis venerabilibus domibus non ſolum ad tempus emphyteuſim facere immobilium rerum ſibi competentium, ſed & perpetue hæc eis emphyteutico jure volentibus dari. Et ſi quidem ſanctiſſimæ eccleſiæ ſint, vel aliæ venerabiles domus, quarum gubernationem loci ſanctiſſimus epiſcopus aut per ſe, aut per venerabilem [12] chorum clericorum faceret, cum voluntate eorum & conſenſu fieri hujusmodi contractum, jurantibus præſentibus [13] œconomis & adminiſtratoribus, & chartulariis ipſius venerabilis domus, quod ex hac emphyteuſi nullum damnum eidem venerabili domui infertur. Si vero ptochia, aut xenones, aut noſocomia, aut reliquæ venerabiles domus ſint propriam adminiſtrationem habentes: ſi quidem venerabilia oratoria eſſe contigerit, cum voluntate majoris [14] partis ibidem ordinantium [15] clericorum, necnon & œconomi. Si vero xenones, aut ptochium, aut noſocomium, aut alia ſit venerabilis domus, apud [16] præpoſitum ipſius fieri contractum, jurantibus ordinatoribus earundem venerabilium domorum in præſentia Deo amabilis epiſcopi, a quo præponuntur aut ordinantur, quod nihil ad læſionem aut præſcriptionem ipſarum venerabilium domorum de hujusmodi contractu efficitur. §. 2. In venerabilibus vero monaſteriis primates [17] eorum cum ampliore & majore [18] parte ibidem deſervientium [19] monachorum contractum efficiant. In prædictis vero omnibus jubemus inſcribi inſtrumentum cum jurejurando, quod non ad læſionem aut præſcriptionem earundem res agitur. Hac vero obſervatione hujusmodi præcedente, relevationem non amplius fieri a ſexta parte reditus quem habet res quæ in emphyteuſim datur. Quæcunque vero de lapſis domibus competentibus venerabilibus domibus quæ in regia ſunt poſitæ civitate, ſuperius diſpoſuimus: hæc in his venerabilibus domibus valere præcipimus. Hoc [20] etiam ſuper ipſis venerabilibus domibus definire prævidimus, ut ſi quædam ex eis ſive pro publicis collationibus, ſive pro alia neceſſaria cauſa ejusdem domus debitis obnoxiæ fiant, & non eſt poſſibile de rebus mobilibus eadem perſolvi debita: primo [21] quidem ordine in ſpeciali pignore dari rem immobilem creditori, ut ejus fructus colligens, reputet ſibi tam in [22] ipſis debitis mutuis pecuniis, quam in uſuris non amplius quarta parte centeſimæ. Si vero noluerit iſto modo debitum tranſigere, jubemus per eos quidem qui a ſanctiſſimo patriarcha ordinantur, ſive metropolitæ, ſive alii epiſcopi ſint, ſive archimandritæ, ſive orphanotrophi, aut noſocomi, aut xenodochi, aut aliarum venerabilium domorum ordinatores, apud ſanctiſſimos patriarchas, a quibus ordinantur, aut præponuntur, monumenta fieri, & cum jurejurando ordinatorum, & conſenſu amplioris [23] partis in eis deſervientium debitum manifeſtari, & quia non eſt poſſibile de rebus mobilibus iſtud perſolvi: per eos vero qui a metropolitis ordinantur, ſive epiſcopi ſint, ſive archimandritæ, ſive orphanotrophi, ſive ptochotrophi, aut aliorum venerabilium locorum ordinatores apud eos ſimiliter metropolitas epiſcopos hujusmodi monumenta conſcribi, ab illis vero epiſcopis qui aut a patriarchis, aut a metropolitis epiſcopis ordinantur, & habent ſub propria juriſdictione aut monaſteria, aut ptochia, aut xenones, aut noſocomia, aut alias venerabiles domos, ſub ſimilem modum fieri geſta: ita tamen, ut ſive apud patriarchas, ſive apud metropolitas, ſive apud epiſcopos alios hujusmodi geſta fiant, nullum [24] pro his diſpendium aut expenſam venerabiles domos ſuſtinere. Propterea enim volumus de cætero apud judices provinciarum, aut defenſores locorum hujusmodi monumenta a memoratis perſonis ſive domibus agi, ut nullum diſpendium ſentiant [25]. Poſtquam vero iſta ſubſecuta fuerint apud memoratos ſanctiſſimos patriarchas, apud metropolitas, aut alios epiſcopos, tunc per prædictos ordinatores debitricis domus venerabilis in ſcriptis in [26] publico civitatis loco proponantur per viginti [27] dies: & iſto modo hortentur eos qui emere voluerint immobilem rem: ut qui plus [28] præbet, aliis præponatur. His vero omnibus præcedentibus, venditionem fieri, pretio modis omnibus pro debito dando: ut non aliter habeat emptor munitionem [29], niſi pretium pro ipſo debito perſolvatur, & hoc evidenter inſcribatur, quod nihil ad læſionem aut præſcriptionem ejusdem venerabilis domus efficitur. Si vero ſecundum prædictum modum emptor hujusmodi rei non inveniatur: jubemus creditorem ex jure prædictarum venerabilium domorum, quod pro [30] ſoluto dicitur, eandem accipere poſſeſſionem, juſta & diſtricta [31] æſtimatione facta: & addita in pretio decima parte univerſæ æſtimationis, in ipſa quantitate accipere rem creditorem pro ſolutione, certo [32] dominio poſſeſſurum: ita tamen, ut ordinatores [33] debitricis venerabilis domus, & amplior [34] pars deſervientium, hujusmodi venditionibus conſentiant. Quod autem præbetur in hoc immobilis res, non per electionem creditoris detur, ſed ſecundum æquitatem: aliud quidem fructiferarum, aliud vero poſſeſſionum ſterilium [35] ejusdem venerabilis domus, & in reditu [36] earum, & in fiſcali ſolutione & reliquæ ordinationis. §. 3. Si vero quis aut epiſcopo, aut œconomo, aut ordinatori cujuslibet venerabilis domus, ſive in regia civitate, ſive in provinciis conſtitutæ pecunias credidit, aut poſthac crediderit: jubemus neque eis hoc reputari [37] pro venerabili domo, niſi primitus oſtenderint, quod in utilitates prædictæ venerabilis domus iſta profecerunt, neque ipſum creditorem, aut heredes ejus contra venerabilem domum habere aliquam pro ipſis actionem, niſi [38] monſtraverint quod in utilitatibus venerabilis domus competentibus pecuniæ profecerunt: ſed contra mutuas accipientem pecunias, aut heredes ejus, proprias moveant actiones.

CAP. VII.

De permutatione rerum eccleſiaſticarum.

HOc [39] vero jubemus, ut excepta ſanctiſſima majore eccleſia regiæ civitatis, & venerabilibus orphanotrophiis, xenonibus, & ptochiis, quæ ſunt in regia civitate ſub ejus conſtitutis ordinatione, licentiam eſſe omnibus ſanctiſſimis eccleſiis, & venerabilibus domibus, necnon & monaſteriis, tam in hac regia civitate, quam in diverſis provinciis conſtitutis permutationes [40] ad invicem facere, quando utrique venerabili domui ſervatur indemnitas, conſentientibus in ſcriptis aut per depoſitiones hujusmodi contractui non ſolùm ordinatoribus utriusque venerabilis domus, ſed etiam ampliore parte in eis deſervientium. Ea vero quæ ab imperiali domo in quamlibet venerabilem domum pervenerunt, aut poſtea pervenerint, nullo modo vendi, aut pignori

1 3. *Ecl.* 1. *ex lib.* 5. *tit.* 2. *c.* 6. 2 Locationes rerum majoris eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, non excedunt annos triginta, licet privatarum & publicarum fiat in centenos, ut Hyginus ſcribit *lib. de limitib.* alias in plures annos *l.* 24. *in fin. l.* 32. *l.* 60. *ff. locati.* plures inquam, quam quinque, Siculus Flaccus. Alii per ſingula luſtra locare ſoliti: alii in plures annos. 3 Major eccleſia Conſtantinopolitana hoc habet præcipuum, ne poſſeſſionem inutilem & publicis oneribus prægravatam alienare poſſit, pignori tamen dare poſſit creditore fructus in ſortem imputante. 4 Hæc pignorum lex vocatur ἀντίχρησις. 5 *Novell.* 67. *c.* 4. 6 Chartularii eccleſiæ. 7 Hinc ſumpta eſt Auth. *quibuscunque. C. de ſacroſ. eccleſ.* 8 Oeconomi, adminiſtratores Eccleſiæ eorumque cognati vel adfines, non poſſunt conducere vel in emphyteuſim vel ἀντίχρησιν res eccleſiaſticas capere. adde dicta ad *l.* 5. *C. de contr. empt. & c.* 37. *canon. apoſt.* 9 Præſumitur enim hujusmodi alienatio nocere eccleſiæ, de qua præſumpt. vide Alciat. 1. *præſumpt.* 29. & Wurmſer. 1. *pract.* 39. *cap.* 6. 10 Vide Jul. *hic num.* 411. 11 Hinc ſumpta eſt Auth. *Perpetua. C. de ſacroſ. eccleſ.* 12 Ἡ διὰ τοῦ εὐαγοῦς αὐτοῦ κλήρου. *Scrimg.* per clericum Jul. *hic.* adde *Novell.* 67. *cap.* 4. 13 Ὀμνύντων παρόντος αὐτοῦ τῶν οἰκονόμων. Græci *hic.* hoc eſt jurantibus eo (id eſt, epiſcopo) præſente, œconomis &c. 14 Majori parti conſentientium multum defertur. 15 Ἐκεῖσε λειτουργούντων. 16 Τὸν προεστῶτα. *Scrimg.* hoc eſt præpoſitum ipſius contractum facere. Verum hæc interpretatio in idem recidit. 17 Ἡγουμένους. *Scr.* certe male, namque apud Julianum hic legumenos. 18 Major pars quod facit, cæteri omnes facere videntur. 19 Λειτουργούντων. *Scrimg.* qui ibi miniſterium faciunt debitum. Jul. *hic.* 20 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Hoc jus. C. de ſacr. eccl.* 3. *Eclog.* 1. *ex lib.* 5. *tit.* 2. *cap.* 10. 21 Quo ordine, quibus ex cauſis immobilia eccleſiaſtica vendi poſſunt. *Nov.* 46. *c.* 1. *Nov.* 54. *c.* 2. *Nov.* 67. *cap.* 4. 22 Hoc eſt, in ſortem ſeu capitale, & ut autor Eclogæ illo loco ſcribit, εἰς τὸ κεφάλαιον. 23 Majoris partis conſenſus univerſitatem integram repræſentat, ideoque eum conſenſum ſequi ſolent judices §. *hic.* adde *l.* 7. *in fin. ff. de pact. l.* 3. *ff. quod cujusque. l.* 14. *ff. depoſiti: l.* 3. §. 7. *ff. de adm. tut. l.* 15. *ff. de reb. aut. jud. l.* 2. *ff. de curat. bon. dand. l.* 3. *ff. de decret. ab ordin. l.* 45. *C. de decurion.* §. 1. *Inſt. de ſatisdat. tut.* 24 Ita ut gratuito & nulla mercede accepta acta eccleſiaſtica fiant. 25 Emptores præſertim. 26 *Affiches & prononceaux ſe doivent mettre en lieux les plus apparens de la ville,* adde *l. penult. C. de bon. proſcript.* vide *l. pen.* §. 1. *C. de defenſor. civit. l.* 2. *Cod. de annali.* 27 De 20. diebus vide Cujac. *c.* 9. *de præſcr.* 28 *Au plus offrant & dernier encheriſſeur,* hinc poſſis colligere, Formam auctionum eam fuiſſe apud veteres, ut a minima quantitate ad majorem, plures licitantes pervenirent, *l.* 35. *ff. de minor.* Audio quibusdam in locis, rem quam plurimo ſubhaſtari: eumque, qui primus ex ea quantitate aliquid deducens emptioni ſeu emptorem ſe obtulerit, licitatione vincere & rem obtinere. 29 Τὸ ἀσφαλές. *Scrimg.* ut non aliter habeant cautionem, Jul. *hic.* 30 Jus pro ſoluto. Ita Græcis hic & apud Julianum *cap.* 411. appellatur. Autor Eclogæ 3. *tit.* 1. *ex lib.* 5. *tit.* 2. *c.* 10. λαμβάνειν κατὰ δεσποτείαν dixit, hoc eſt, accipere jure dominii. Res eccleſiaſticæ in ſolutum dari poſſunt, prius tamen exacte æſtimandæ, & ultra æſtimationem adjicere debet creditor decimam pretii: ut ita raro vel nunquam eccleſia lædatur. Bald. *tamen ad Authentic. Hoc jus porrectum, Cod. de ſacroſ. eccleſ.* negat hoc ſervandum eſſe jure etiam poli & conſcientiæ: adde *Novell.* 46. Verum Accurſius in d. gloſſa Authenticæ, *Hoc jus porrectum.* τὸ *addita* accipit, pro remiſſa, ut ſcilicet decima pars pretii remittatur emptori: ut cum in uno gravetur, quod ſcilicet invitus rem eccleſiaſticam in ſolutum accipiat, in alio relevetur. 31 Subtili. *Julian.* ἀκριβοῦς. *Scrimg.* 32 Firmo. *Julian.* βεβαίᾳ δεσποτείᾳ. *Scrimg.* 33 Διοικητάς: *Scrimg.* adminiſtratores. Julian. *hic.* 34 De quo dixi *ſupr.* 35 Quænam res eccleſiaſticæ in ſolutum dari debent creditori? mediæ inter fertiles & ſteriles, vide Julian. *hic.* 36 Æſtimatio rei ex ejus reditu, & publicarum tributionum functione & reliquo ſtatu facienda eſt. Julian. *hic.* 37 Non omne quod mutuo accipit adminiſtrator eccleſiæ, imputatur rationibus eccleſiaſticis, ſed id tantum quod mutuum in utilitatem eccleſiæ verſum eſt. *Novell.* 123. *c.* 6. *in fin.* 38 Creditor eccleſiaſticus probare tenetur pecunias mutuo datas in uſum & utilitatem eccleſiæ converſas fuiſſe. 39 Hinc etiam ſumpta eſt Authentica, *Hoc jus. Cod. de ſacroſ. eccleſ.* 40 Eccleſiæ permutationes ad invicem facere poſſunt. *Novell.* 54. *c.* 2.

NOVELL. [Hhhh] ſuppo-

ſupponi, aut permutari, aut omnino alienari concedimus, neque ſi ad alteras venerabiles domos, tale aliquid egerint. §. 1. Et quoniam cognovimus ab aliquibus fieri alienationes [1] monaſteriorum, ut hæc a ſacra figura in privatorum converſationem transferantur, & hoc omnibus modis prohibemus. Si vero tale aliquid factum deprehendatur: licentiam præbemus ſanctiſſimo loci epiſcopo hoc monaſteriis vindicare, & in antiquam figuram reducere. Si [2] vero quis de prædictis venerabilibus domibus quæ in hac regia civitate, ſive in aliis provinciis, ſunt, (excepta ſanctiſſima majore eccleſia regiæ civitatis) prædium habeat plurimis fiſcalibus tributis gravatum, ex quo nullus inferatur reditus venerabili domui: licentiam [3] præbemus ejusdem venerabilis domus ordinatoribus tale prædium alienare quolibet modo voluerint, ad perfectam ſecuritatem ejusdem venerabilis domus, geſtis monumentorum videlicet in hujusmodi alienatione conficiendis ab illis a quibus ordinatores talium locorum præponuntur ſive ordinantur, & jurantibus in ſanctis ſcripturis præſente antiſtite ejusdem venerabilis domus, & ampliore parte in ea deſervientium, quod neque per proditionem, neque per gratiam, aut quamlibet præſcriptionem alienatio fiat, ſed ut ſervetur immunitas eidem venerabili domui. Oeconomis vero & ordinatoribus clericorum, & chartulariis ubicumque venerabilium domorum conſtitutarum, aut parentibus eorum & filiis, & quibus ſecundum genus aut ſecundum matrimonii jura conjunguntur, locationes, aut emphyteuſeis, aut emptiones, aut hypothecas rerum immobilium ipſis venerabilibus domibus competentium ſubire aut per ſe, aut per interpoſitam perſonam, ſecundum quod & iis, qui in regia civitate ſunt, prohibemus.

CAP. VIII. [4]

Si emphyteuta eccleſiæ per biennium in ſolvendo canone ceſſaverit.

SI [5] vero quis aut locator aut emphyteuta alicujus rei competentis aut ſanctiſſimæ majori eccleſiæ, aut alteri venerabili domui in quolibet loco noſtræ reipublicæ conſtitutæ, aut deteriorem faciat rem, quam quidem aut accepit, aut poſt hoc acceperit, aut per biennium [6] non intulerit quod ab eo promiſſum eſt emphyteuticum aut locationis canonem: damus licentiam venerabili domui ex qua locatio aut emphyteuſis facta eſt, & quæ debentur ſolum pro præcedente tempore, & antiquum ſtatum locatæ ſive emphyteuticæ rei exigere, & ejicere de emphyteuſi, ſive de locatione, non [7] valentem de emponematis actionem aliquam contra venerabiles domos movere. Si vero noluerint prædicti ordinatores expellere eum, exigi quidem eum præcipimus quæ pro locatione ſive emphyteuſi debere cognoſcitur: usque ad definitum vero tempus completum, ſibi datam rem tenere eum, & quæ placita ſunt dare. Si vero refugiat, licentiam præbemus præpoſitis eorundem venerabilium locorum indemnitatem venerabilibus domibus de ejusdem rebus fieri, non valente neque hic de emponematis [8] aliquid prætendere.

CAP. IX.

Ut liceat pro redemptione captivorum res immobiles eccleſiæ alienare.

SAnctiſſimas vero eccleſias [9] [omnes ſeu œconomos] civitatum præcipimus alienare res immobiles pro captivorum [10] redemptione: niſi [11] ſub hac conditione poſſeſſiones aliqui eis dederint: ut nullo modo has alienent. Hoc autem concedimus, ut Hieroſolymorum [12] ſanctiſſima eccleſia licentiam habeat domos competentes ei non poſitas in eadem ſancta civitate vendere, non minori pretio quam de penſionibus ejus in quinquaginta [13] annis colligitur: ut ex earum pretio reditus meliores emat. Si vero quidam cuilibet venerabili domui, ſive in hac regia civitate, ſive in provinciis poſitæ ſteriles [14] poſſeſſiones donaverint, aut vendiderint, aut alio modo conceſſerint, aut dereliquerint: jubemus pro talibus rebus nullam læſionem ſuſtinere venerabilem domum in quam hujusmodi poſſeſſiones pervenerunt: aut fiſcalium nomine, aut alterius cujuslibet cauſæ gratia prægravari: ſed omne hujusmodi onus in dantes & eorum heredes recurrere: neceſſitatem habentibus recipere datas hujusmodi poſſeſſiones, & reſtituere de propria facultate venerabili domui omne damnum quod ex hujusmodi occaſione ei contigerit. Si vero [15] etiam talis dolus in re ſubſecutus eſt, ut aliquæ pecuniæ pro hoc venerabili domui darentur, & eas jubemus in proprium lucrum venerabilem domum habere, ſteriles vero res ei, qui dedit & heredibus ejus omnino reſtitui. §. 1. Ad hæc jubemus, ut nulla [16] neceſſitas ſanctiſſimis eccleſiis, vel aliis venerabilibus locis tam in regia civitate, quam in omnibus reipublicæ noſtræ provinciis poſitis inferatur, poſſeſſiones ſteriles aut frugiferas ubilibet conſtitutas emere: ut non inveniantur per hanc occaſionem, & quas habent perdere, aut debitis obnoxiare. Si vero quis voluerit rem immobilem nomine [17] uſus accipere ab aliqua prædictarum venerabilium domorum (ſecundum [18] quod ſuperius de venerabilibus domibus, quæ in regia civitate ſunt poſitæ, diſpoſuimus) non aliter hoc accipiat, niſi aliam mox rem dominii jure præſtiterit venerabili domui, a qua eandem rem acceperit, tantum habentem reditum, quantum habet res quæ ei datur, & non majoribus tributis gravatam: quatenus poſt ejus tranſitum, aut tempus in quo datio uſus eſt placita, non tranſcendens ſcilicet ejus qui acceperit vitæ tempus: utramque rem integro jure, & ſecundum dominium & ſecundum uſum in ipſam venerabilem domum pervenire. Et hoc quidem de immobilibus rebus jubemus.

CAP. X.

De ſacris vaſis cujusque eccleſiæ vel oratorii.

DE ſacris autem [19] vaſis competentibus ſanctiſſimæ majori eccleſiæ regiæ civitatis, aut aliis venerabilibus oratorii domibus, in qualicunque loco noſtræ reipublicæ poſitis, generaliter conſtituimus, ut non aliter hæc vendantur, aut ſupponantur, niſi pro captivorum redemptione. Si [20] vero ſunt plura vaſa in aliqua memoratarum venerabilium domorum, nullum neceſſarium uſum facientia, & contigerit hujusmodi venerabilem locum debitis aggravari, & non ſint aliæ manifeſtæ res mobiles de quibus debeant debita reddi: licentiam ei damus geſtis monumentorum (ſicuti ſuperius dictum eſt) conſtitutis prædicta ſuperflua vaſa [21] aut aliis venerabilibus locis neceſſaria [non [22]] habentibus vendere, aut conflare, & ſimiliter vendere, & eorum pretium in debitum præbere: ut [23] non immobiles res alienentur.

CAP. XI.

Quibus pœnis ſubjiciantur qui præſentem conſtitutionem violaverint [24].

SI [25] vero præter hæc quæ inſerta ſunt præſenti legi, contractus fiat ſuper competentibus rebus mobilibus & immobilibus uni memoratarum venerabilium domorum, reddi quidem eidem ſanctiſſimæ eccleſiæ ſive venerabili domui rem ſuper quam tale aliquid ſubſecutum eſt, cum medii temporis fructibus: maneat autem apud eam, & pretium aut antidorum [26], aut quod pro permutatione, aut alia qualibet occaſione datum eſt ei. Si vero emphyteuſis agatur præter hæc quæ diſpoſita ſunt a nobis, reddi ſanctiſſimæ eccleſiæ, ſive venerabilibus domibus vel locis eandem rem jubemus, & emphyteuticum, ſecundum quod [27] placitum eſt, dare, & pactum finiri ſecundum virtutem emphyteuticalium inſtrumentorum. Si vero donetur res eccleſiaſtica, aut alterius venerabilis domus, & hanc reddi ſanctiſſimæ majori eccleſiæ, aut aliis venerabilibus domibus cum medii temporis fructibus, & tantum aliud quantum valebat ipſa res. Si vero hypothecæ contra hæc dentur, creditor quod ei debetur, perdat, & res venerabili loco reddatur: tabellionibus [28] præſumentibus præter hanc noſtram legem talibus miniſtrare inſtrumentis, perpetuo [29] exilio condemnandis. Si vero aliquid ante hanc noſtram legem ſecundum antiquas conſtitutiones factum eſt: hoc jubemus omnibus modis propriam virtutem habere. Omnia vero quæ contra antiquas leges facta ſunt, revocari ſancimus, & res quæ contra virtutem earum data eſt, venerabilibus domibus reddatur, & de cætero ſecundum præſentem legem omnia fieri diſponimus: vacantibus poſthac aliis omnibus conſtitutionibus quæ ſuper talibus caſibus dudum loquebantur.

EPILOGUS.

† Eminentia igitur tua, quæ per præſentem legem in perpetuum valituram noſtra ſanxit tranquillitas, inconvulſa obſervare feſtinet: edicto in ſolennibus & legitimis locis per decem dies propoſito: & nullo pro tali occaſione in provincias deſtinando. Nos enim providemus quali modo ſine collatorum læſione omnibus præſens noſtra generalis conſtitutio manifeſta fiat. Dat. 7. Id. Maji, *Conſtantinop.* DN. JUSTINIAN. PP. Aug. [30] BASILIO [31] V. C. CONS.

TIT. IV.

UT PARTICULARES [32] USURARUM SOLUTIONES IN [33] DUPLUM COMPUTENTUR.

NOVELLA CONSTIT. CXXI.

Imp. Juſtin. Auguſt. Baſilio præſidi Tarſi.

PRÆFATIO.

CUm decuriones videamus nobis inſtare precibus, & libenter iis indulgeamus: merito ſane legibus contrarias artes, & per fraudem excogitatas confeſſiones valere non concedimus.

CAP. I.

DOcuerunt enim potentiam noſtram Euſebius, & Aphthonius, qui Demetrio nepotes extiterunt, nati ex Palladio Demetrii filio: quod is Demetrius Artemidoro per cauſam mutui quingentos aureos debuerit, in quam ſummam etiam uſuras ſtipulatus ſit. Nuper [34] vero ſacram prodiiſſe formam, quæ voluerit, *ſi duplum debiti ſolvatur, ut nulla contra ipſos ſecundum leges noſtras ſuperſit exactio.* Artemidori autem creditoris ſucceſſores Epimachum, & Artemonem dixiſſe, *mentitos* [35] *ipſos in precibus neque noſtro dignandos auxilio: cum debito plene ſatisfactum non fuerit, ſed ſoli* [36] *nongenti quadraginta novem aurei perſoluti ſint.* Ajunt enim ſupplices, patrem ſuum Palladium una cum Demetrio patre ejus & Paulo octingentos ſexaginta ſeptem ſolviſſe aureos. Sed Artemonem & Priſcianam Artemidori filios, qui Epimachi & Artemonis illius alterius avus fuit, dixiſſe *particularem ſe ſolutionem ſorti non adjungere,*

1 Hinc ſumpta eſt Authent. *Multo magis. C. de ſacr. eccleſ.* vid. Julian. *hic n.* 412. *Novell.* 7. *cap.* 11. 2 Hinc ſumpta eſt Authent. *Item prædium. C. de ſacr. eccleſ.* 3 Res eccleſiæ (non tamen majoris, quæ eſt Conſtantinopoli) oneroſa diſtrahi poteſt. v. *c.* 4. §. *hic.* 4 Vide Julian. *hic num.* 413. 5 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Qui rem.* [illegible]

[illegible] res urbana eccleſiaſtici uſus nomine, eodem & provincialis. adde Jul. *hic n.* 416. ut videatur duci argumentum ab urbanis rebus ad provinciales. 19 Tranſit a venditione rerum immobilium, ad mobiles, adde Jul. *hic, n.* 417. & hoc interim paucis traditur. Qualiacumque vaſa eccleſiæ, redimendorum captivorum cauſa, poſſe diſtrahi: debiti cauſa, ſuperflua tantum, adde *l.* 21. *C. de ſacr. eccleſ.* 20 Hinc ſumpta eſt Authentica. *Præterea. C. de ſacr. eccleſ.* 21 Vaſa eccleſiaſtica ſuperflua aliis eccleſiis vendi poſſunt. [illegible]

ſed omnia velle reputari in uſuras, hæc item innuere ſententiam provinciæ præſidis, & propterea exegiſſe Palladium pro priore quingentorum aureorum fœneratitia ſyngrapha alteram aureorum ſexingentorum. Solviſſe autem ipſi (inquiunt) diverſis temporibus, & Palladium aureos ſeptuaginta duos, & Euſebium atque Aphthonium decem, ut inde colligatur nongentorum quadraginta novem aureorum ſumma. Eum vero qui controverſiæ audientiam præbuerat, cum in animo non revolveret, quod totius accuſationis eadem cauſa eſſet: non admiſiſſe ipſos, ſed voluiſſe in ſexingentos eos aureos ſortis condemnare. Petieruntque, ut hac neceſſitate eximerentur: & collecto univerſo debito quingentorum aureorum, ſi quinquaginta unum adhuc ſolverent, qui reliqui eſſent ad mille ſolidorum quantitatem, tam univerſo debito liberarentur, quam fœneratitiam ſexingentorum aureorum ſyngrapham reciperent.

CAP. II.

CUm igitur leges [1] noſtræ nihil ultra [2] duplum ſolvi velint: & nos in hoc tantum differentiam habeamus cum prioribus, quod illæ quidem debita conſtituant usque ad duplum, ſi nulla particularis facta fuiſſet ſolutio: nos vero recipiamus, ut particulares etiam ſolutiones debita diſſolvant, ſi usque ad duplum pertingant: ſancimus ut ſecundum hoc fiat computatio: & ſi tantum hi perſolverint, quantum adhuc ad mille aureos deeſt, recuperent etiam fœneratitiam ſexingentorum aureorum ſyngrapham, ne debitum ex hac cauſa multipliciter exigi deprehendatur.

EPILOGUS.

† Quæ itaque nobis placuerunt, & per hanc ſacram pragmaticam declarantur formam, ea ſtudeto magnificentia tua effectui & fini tradere, tam ea interpretatione, quæ de hac cauſa in ſententiis, quorum ſupplices meminerunt, facta eſt, abolita: quam omnibus quæ per obreptionem & ex una tantum parte confecta ſunt, aut conficientur, vacantibus. Divinitas te ſervet per multos annos, frater jucundiſſime. Dat. 17. Kal. Maji, *Conſtantinop.* BELIS. V. [3] C. CONS.

TIT. V.

EDICTUM [4] PIENTISSIMI DOMINI NOSTRI JUSTINIANI DE FORMULA [5] ARTIFICUM.

NOVELLA CONSTIT. CXXII.

PRÆFATIO.

COgnovimus, quomodo poſt caſtigationem Domini Dei benignitate immiſſam, qui negotiationes & ludos literarios [6] exercent, diverſi etiam generis artifices & agricolæ, inſuper & nautæ, cum potius meliores fieri deberent, lucri cupiditati ſe dediderint, & duplicia tripliciaque pretia ac mercedes præter veterem conſuetudinem requirant.

CAP. I.

VIſum igitur eſt per ſacrum edictum omnibus interdicere deteſtandam iſtiusmodi avaritiam, & ne quis in poſterum cujuscunque diſciplinæ aut artis magiſter, qualiscunque etiam negotiationis negotiator, qualiscunque demum agriculturæ agricola, quam vetus conſuetudo ferat, plus pretii mercedisve nomine exigat, jubemus vero etiam ut [7] ædificiorum, & colendæ terræ, aliorumque operum menſores nihil amplius operariis imputent, & illis antiquam conſuetudinem conſervent. Hæc autem obſervare jubemus & eos qui qualiacunque opera demandant, & eos qui aliqua redimunt. Si quidem nec ipſis amplius quam more conſtitutum ſit, dare concedimus. Sciant vero qui quicquam amplius, quam pro veteri conſuetudine requirunt, quod triplicem quantitatem in fiſcum inferre cogentur, ſi ſupra id quod ab initio conſtitutum fuerit, cepiſſe illos quicquam aut dediſſe oſtenſum ſit.

EPILOGUS.

† Hæc porro inquiri ac vindicari jubemus & ab excellentia tua & a glorioſiſſ. felicis hujus urbis præfecto. Volumus enim per vos ab hujus noſtri edicti transgreſſoribus conſtitutam multam exigi, pœnisque illos ſubdi: ita ut quæ vobis parent cohortibus, quinque librarum auri multa incubitura ſit, ſi quid ex iis quæ a nobis conſtituta ſunt, neglectum fuerit. Dat. 2. Kal. Apr. *Conſtantinop.* DN. JUSTIN. PP. Aug. poſt [8] BELIS. V. C. CONS.

TIT. VI.

DE SANCTISSIMIS EPISCOPIS [9] ET DEO AMABILIBUS ET REVERENDISSIMIS CLERICIS, ET MONACHIS.

NOVELLA CONSTIT. CXXIII.

Imperator Juſtinianus Auguſtus Petro glorioſiſſ. magiſtro ſacrorum noſtrorum officiorum.

PRÆFATIO.

DE gubernatione, & privilegiis, aliisque diverſis capitulis ad ſanctiſſimas eccleſias, & alias venerabiles domos pertinentibus, jam quædam diſpoſuimus [10]: ſuper ſanctiſſimis autem epiſcopis, & clericis, & monachis dudum in diverſis conſtitutionibus diſpoſita cum competenti correctione hac comprehendere lege proſpeximus.

In editionibus Haloandrinis duæ hic paginæ infarciuntur, quæ nec in Scrimgeriana editione, nec in meis manuſcriptis reperiuntur. Contius.

CAP. I.

De ordinatione epiſcoporum [11].

SAncimus igitur quoties opus fuerit epiſcopum ordinari, clericos & [12] primates civitatis cujus futurus eſt epiſcopus ordinari, mox in tribus [13] perſonis decreta facere, propoſitis eis ſacroſanctis evangeliis, *periculo ſuarum animarum* dicentes in ipſis decretis: *quia neque propter aliquam donationem* [14], *neque propter aliquam promiſſionem, aut amicitiam, aut aliam quamlibet cauſam, ſed ſcientes eos rectæ & catholicæ fidei* [15], *& honeſtæ* [16] *eſſe vitæ, & literas* [17] *noſſe, hos elegerunt: & quia neque* [18] *uxorem, neque* [19] *filios* [20] *aliqui eorum habent, neque concubinam* [21] *aut filios naturales* [22] *cognoſcunt eos habuiſſe* [23], *aut habere:* ſed & ſi prius *uxorem aliquis ex eis habuit ipſam & unam* [24], *& primam* [25], *& neque viduam* [26], *neque viro conjunctam* [27], *neque legibus* [28] *aut ſacris conſtitutionibus* [29] *interdictam, ſed & quod neque curialem* [30] *aut officialem hunc eſſe cognoſcunt, aut ſi curiali vel officiali ſubjacet fortunæ, ſciunt eum in monaſterio non minus quindecim* [31] *annis monaſticam converſationem impleviſſe.* §. 1. Hoc quoque decretis oportet inſeri, *quia non minus quam trigintaquinque* [32] *ætatis annos habet is, qui eligitur ab eis qui cognoſcunt perſonam:* ut ex trium perſonarum pro quibus talia decreta facta ſunt, melior ordinetur electione & periculo ordinantis. Curialem vero vel officialem, qui, ſicut dictum eſt, quindecim [33] annis in monaſterio converſatus eſt, & ad epiſcopatum provocatus, liberum eſſe propria fortuna: ita tamen, ut liberatus a curia, quartam partem ſuæ ſubſtantiæ ſibi retineat: reliquis ejus rebus ſecundum noſtram legem curiæ & fiſco vindicandis. §. 2. Damus autem licentiam decreta facientibus, ſi quempiam laicorum præter curialem & officialem [34], dignum memorata electione eſſe putent: hunc cum aliis duobus clericis aut monachis eligere: ut ſi laicus [35] hoc modo ad epiſcopatum eligatur, non repente epiſcopus ordinetur, ſed primo clericis non minus tribus menſibus connumeretur, & [36] ita ſanctas regulas & cotidianum eccleſiæ miniſterium edoctus, epiſcopus ordinetur. qui enim alios debet docere [37], poſt ordinationem ab aliis doceri non debet. Si vero (ut evenit in quibusdam locis) non inveniantur tres perſonæ ad talem electionem opportunæ, liceat decreta facientibus in duabus & in una perſona decretum facere: eos tamen omnes jam dictas a nobis habentes teſtationes. Si vero qui debent epiſcopum eligere, citius ipſa decreta intra [38] ſex menſes non faciant: tunc periculo propriæ animæ ille, quem competit ordinare epiſcopum, ordinet, omnibus aliis quæ diximus obſervandis. Si quis autem citra memoratam obſervationem epiſcopus ordinetur, jubemus hunc omnibus modis epiſcopatu depelli [39]. Sed etiam illum qui præter hoc præſumpſerit ordinare, ſegregari [40] uno anno a ſacro miniſterio, & omnem ejus ſubſtantiam, quæ quolibet tempore aut modo in ejus dominium deducta eſt, propter culpam quam fecit, dominio eccleſiæ cujus epiſcopus eſt, vindicari.

CAP. II.

De accuſatoribus epiſcoporum [41].

SI quis autem electum ad ordinationem epiſcopatus accuſaverit in qualibet cauſa quæ poſſit ſecundum leges [42] aut canones ejus impedire ordinationem, differatur hujusmodi ordinatio: & prius contra eum propoſitam cauſam ſive præſente accuſatore [43], & ab eo propoſitam cauſam exequente, ſive etiam deficiente per tres menſes ſuam accuſationem implere: diligenter examinari ab illo a quo futurus erat epiſcopus ordinari: & ſi quidem obnoxium eum accuſator invenerit, prohibeatur ordinatio. Si vero obnoxius non oſtendatur, ordinatio quidem non impediatur: accuſator autem, ſive non probaverit, ſive etiam fugit propoſitam a ſe accuſationem, a provincia in qua habitat abjiciatur. Si quis autem ante examinationem accuſatum ordinaverit, ordinatus quidem a ſacerdotio repellatur: qui vero talem ordinare feſtinaverit, ſuperius dictæ ſubjaceat pœnæ, tam annali [44] prohibitioni ſacri miniſterii, quam etiam ut omnes ejus res eccleſiæ vindicentur. §. 1. Præ [45]

1 Vid. *l. pen. C. de uſuris: Eclog. d. cap.* 72. & 73. 2 Id uti fieret, vide apud Molinæum *tractat. de uſur. n.* 47. ibi, Ex prædictis generaliter ſequitur, quod, quanquam uſuræ lapſu temporis ſortem æquaverint, quod tunc ſive fuerint ſolutæ, ſive non, ſtatim ipſo jure deſinunt currere. Et ſi de facto continuetur ſolutio, quidquid deinceps ſolvitur, ſorti imputatur, & cum iterum ſummam ſortis, & ſic ejus duplum æquaverint, ipſo jure liberatur debitor & a ſorte & ab uſuris. Idem, ſi poſtquam ſupra ſortis quantitatem ſolvi cœperint, debitor ſortis reſiduum repræſentare & offerre velit. Hæc ille. 3 Id eſt, anno 541.
4 Vid. 6. *Edict. Juſtinian.* Goth. Vid. ad hanc Novell. Rittershuſ. *part.* 3. *c.* 12. Anſ. 5 De diſpoſitione artificum, *Index Reginæ.* 6 Μεθοδείας, quo nomine intellige conventus hominum, & mercatus. 7 Vetat Juſtinianus, agricolas, nautas, artifices, negotiatores, pretii mercedisve nomine plus more veteri exigere: quinimo vetat, ut locent operas κατὰ τὴν παλαιὰν διατύπωσιν. ſic enim legendum, non ut Haloander ex *epitome Theodori* κατὰ τὴν πράσεως διατύπωσιν, id eſt, ſecundum actionis formulam. 8 Id eſt, anno 541.
9 De epiſcopis & clericis. *Index Reginæ.* vid. *l.* 1. *Cod. Theod.* 3. Hæc conſtitutio de eccleſiaſticis diverſis capitulis loquitur. Jul. *conſt.* 115. περὶ ἐκκλησιαστικῶν διαφόρων κεφαλαίων. *Scr.* Goth. In cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ 10. *extr. de conſtit.* aufertur laicis omnis facultas diſponendi de rebus Eccleſiaſticis. Quapropter quæ in hac *Nov.* 123. & *tit. Cod. de ſumm. Trinit.* it. *de Epiſcop. & clericis.* rurſus quæ ſub *tit. de Epiſc. aud.* ſtatuuntur, ſunt contra Jus Canonicum. *Anſ.* 10 *Novell. ſc.* 6. 11 De epiſcopi conſecratione. Jul. *hic num.* 429. adde *Nov.* 137. J. Goth. Diverſa circa electionem epiſcopi forma præſcribitur *cap. quia propter. extr. de elect.* Anſ. 12 Καὶ τοὺς πρώτους τῆς πόλεως. Laici proinde jus habent ſuffragii in nominandis ſeu eligendis epiſcopis, adde *Nov.* 6. *c.* 1. quod eſt notandum, quia de re dicemus alibi plenius. 13 Quid ſi tres non reperiantur? duos ſufficiet nominaſſe. *cap.* 2. J. *leg.* 42. *Cod. de epiſc.* Eſt ergo hoc notandum, tres aut ſaltem duos probatæ vitæ & morum nominari a clericis & primatibus civitatis, ut ex eis eligatur epiſcopus, adde quæ ſcripſi ad *l.* 1. *C. de tutorib. & curatoribus illuſtrium.* vid. Sidon. 4. Epiſt. 25. 14 Teſtis eo nomine poteſt recuſari, ſi dicatur ad teſtimonium dicendum donatione, promiſſione, amicitia, aut cauſa non abſimili perductus. 15 Hoc abrogatur Novella Leonis. Doctrina fidei orthodoxæ in epiſcopo eſſe debet & ut apoſtolus jubet, Epiſcopum oportet ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου. *ad Tit.* 1. *verſic.* 9. διδακτικόν. 1. *ad Tim.* 3. *verſ.* 2. *in fin.* & idem diaconos vult ἔχειν τὸ μυστήριον τῆς πίστεως. *ibid. verſ.* 9. 16 Oportet eundem habere teſtimonium ab extraneis fidei 1. *Tim.* 3. *verſ.* 7. adde *l.* 42. *Cod. de epiſc.* 17 Γράμματα, ita ut non ſit ignarus. *diſt.* 38. *Novell.* 6. *c.* 1. §. 2. Linguarum cognitione inſtructos eſſe oportet beneficiarios, vid. Duar. 1. *de ſacris* 2. 18 Uxorem habens vetatur hic Epiſcopus fieri. 19 Liberos habens Epiſcopus eligi non debet, vid. *epiſt.* 1. *ad Tim.* 3. *verſ.* 4. 5. & *Tit.* 1. *verſic.* 6. *Novell.* 6. *cap.* 1. §. 4. 20 Concubina eſt quaſi uxor, vide quæ dixi ad *l.* 3. *in fin. ff. de concubinis.* 21 Naſcuntur enim illi ex concupiſcentia. *Novell.* 74. *c.* 1. 22 Nota eſt, non tantum habere, ſed habuiſſe concubinam aut liberos naturales. *Nov.* 6. *c.* 1. §. 4. 23 Loquitur de primo bigamiæ genere, quoties uno eodemque tempore duas vel plures quis habet uxores, vid. *epiſt.* 1. *ad Tim.* 3. *verſ.* 2. *ad Tit.* 1. *verſic.* 6. adde 26. *diſt. Nov.* 6. *c.* 1. §. 3. 24 Loquitur de ſecundo genere bigamiæ, quoties mortua priore uxore, alteram quis ducit. 25 Cur primam dixit? forte minus honeſta exiſtimatur, quæ ſecundo nubit. Hæc tamen ratio ſive inſpectio, minus honeſta eſt. 26 Separatam a viro. 27 Vid. *tit. Cod. de inceſt. nupt.* 28 Canonibus, forte ſcenicam intelligit. Jul. *hic.* 29 Vid. *diſt.* 51. 52. 53. 30 Curialis 15. annis purgatus monaſtica converſatione ſc. fieri poteſt epiſcopus, *ut hic,* & §. 1. J. alias epiſcopatus eſt incapax *l.* 4. *l.* 12. *Cod. de epiſc.* 31 *l.* 2. *Cod. de epiſc.* 32 Anno 35. ætatis ordinari quis epiſcopus poteſt, hodie 30. ut *Nov.* 137. *c.* 2. adde *diſt.* 78. 33 Dixi J. 34 Taxeotam, Jul. *hic.* 35 Ex laico fieri quis epiſcopus poteſt, ſi tamen trimeſtre prius inter clericos fuerit. 36 Nota, ignarum ſanctarum regularum quotidianique miniſterii, epiſcopum eligi poſſe, ſi modo ſpes in eo ſit, ut brevi Canones & regulas Eccleſiaſticas addiſcat. 37 Inſtituendus ab alio inſtituere non poteſt alios. 38 Sedes epiſcopalis ultra ſex menſes vacare non debet. De collegio eccleſiaſtico, vacante ſede epiſcopali, vid. Duar. 5. *de ſacr.* 6. Viglium 3. *method. juris Pontif.* 2. 39 Illegitime electus non fruitur epiſcopatu. 40 Pœna epiſcopi, alium illegitime ordinantis. 41 Vid. Jul. *hic n.* 430. & 3. *Eclog.* 1. *c.* 2. *Nov.* 137. *cap.* 3. 42 Removetur quis ab adipiſcendo epiſcopatu legibus, aut canonibus. 43 *Nov.* 6. *cap.* 1. §. 10. Forte petitum eſt ex illo loco 1. *Tim.* 5. *verſic.* 19. κατὰ πρεσβυτέρου κατηγορίαν μὴ παραδέχου· ἐκτὸς εἰ μὴ ἐπὶ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων. 44 Τῇ ἐνιαυσιαίᾳ κωλύσει τῆς θείας λειτουργίας. *Scrimg.* 45 Jul. *hic n.* 241. ut nulla pecunia data epiſcopi conſecrentur.